DISPUTATIO POLITICA

De

Republica Turcicâ,

Quam,

PRÆSIDE

MICHAELE WENDELERO,
D. & P. P.

publicè proponit

M. JOHANNES FRIMELIUS,
VVitebergâ-Saxo,

In Auditorio majori, horis matutinis,
die 8. Decembris

VVITTEBERGÆ,
Typis JOBI WILHELMI FINCELII,
CIƆ IƆ C LV.

PRÆLOQVIUM.

DE Turcicâ Republicâ dicendi anſam, qvæ proximè præceſſit diſputatio, præbet. Nam in eâ mentionem fecimus parvuli, ut *Daniel* loqvitur, cornu, id eſt, *Turcici regni*; cujus incunabula incidunt, ſecundum Hiſtoricos, in annum Chriſti 622.; quo tempore *Muhammet*, vulgò *Mahomed*, rerum potitus inchoavit regnum Saracecenorum, ſeu Arabum, regum 26. usque ad annum Chriſti 1545. Idem Mahomed inchoavit eodem anno 622. *Chaliphatum*, hoc eſt, vicariatum in Bagded & Damaſco. Chaliphæ numerantur inde usque ad annum Chriſti 868. numero 30. Poſteà diviſus eſt *Caliphatus* iſte in *Caliphatum Syriæ* & *Aegypti* anno 869. *Caliphatus* Aegypti floruit uſque ad annum Chriſti 1245.; quo rerum potiti ſunt *Mamaluki*, id eſt, ſervi. *Caliphatus* Syriæ duravit uſque ad annum Chriſti 1297. ſub Ottomanno; à qvo imperium appellatur *Ottomannicum*. Reliquorum imperatorum ſucceſſio ex Turcicâ hiſtoriâ innoteſcere cuilibet poteſt. Nos in præſenti diſputatione dicemus de vaticinio *Danielis*, quod *cap.* 7. ejusdem prophetiæ de parvulo cornu extat, quodque de regno Turcico agit. Hinc ejusdem reipublicæ explicabimus *regimen*, ſeu *formam*, *durationem*, *judicia*, *leges*, *fœdera cum exteris* atque alia.

THESES.

1. Vaticinium *Danielis* de regno Turcico reperire eſt *Danielis cap. 7. v. 8. Conſiderabam*, ait ibidem *Da-*

niel, cornua, & ecce cornu aliud parvulum ortum eſt de medio eorum, & tria de cornibus primis evulſa ſunt à facie ejus: & ecce oculi quaſi oculi hominis erant in cornû iſto, & os loqvens ingentia. Mox de eodem extat *v. 10. Adſpiciebam propter vocem ſermonum grandium, quos cornu illud loqvebatur: & vidi, donec interfecta eſſet beſtia, & periiſſet corpus ejus, & traditum eſſet ad comburendum igni.*

2. Tandem de eodem v. 25. & 26. legimus ſequentia verba; *Et alius conſurget poſt eos, & ipſe potentior erit prioribus, & tres reges humiliabit. Et ſermones contra excelſum loquetur, & ſanctos altiſſimi conteret: & putabit, qvòd poſſit mutare tempora & leges, & tradentur in manus ejus usque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis. Et judicium ſedebit, ut auferatur potentia, & conteratur, & diſpereat usque ad finem.*

3. De parvulo hoc cornû nonnulla tantùm ſunt examinanda, cùm reliqua ex angeli interpretatione non malè cognoſcere poſſimus. Primis *v. 8.* verbis excitat *Daniel* lectorem ad attentionem, ne quis putet, de re parvi momenti ſermonem fieri, qvamvis ipſum cornu ratione originis ſit ſupra modum exiguum. Principiò autem qvemlibet oportet eſſe certum, cujus populi regnum per parvulum cornu ſignificetur, ne multis cogitationibus faſcinati *Danielis* oraculum vel prorſus cum *Bodino* negligamus, vel perperam cum *Judæis, Calviniſtis* & *Pontificiis* intelligamus.

4. Judæi volunt, hoc cornu eſſe Chriſtum, qui tribus annis cum dimidio prædicavit. Hic, ajunt, bellum fecit cum ſanctis; qvia legem Moſis & Judæorum evertit. Sed hæc Judæorum blaſphemia eſt ſtulta æqvè ac impia. Nam ſi ita eſt, utiqve poſt mortem

Chriſti

Chriſti regnare oportuit Judæos. Hoc enim de ſanctis, contra qvos cornu illud pugnavit, aſſerit *Daniel* v. 18. & 27. Judæi autem poſt mortem Chriſti, à Tito planè ſunt exciſi, Chriſti verò regnum magis floruit, totumque ſibi ſubjecit mundum. Qvæ & hujus generis plura ſunt talia, qvæ vaticinio *Danielis* contrariantur.

5. *Porphyrius*, acerrimus Chriſtianorum hoſtis, per parvulum cornu intelligit Epiphanem. *Porphyrium* ſequuntur Calviniſtæ ad unũ omnes, qvamvis in quibusdam circumſtantijs ab eodẽ diſſentire velint.

6. *Polanus* in Com. ſuper *Danielem* p. 18. *Speciatim deſcribitur ultimum cornu, per quod adumbratus fuit Antiochus Epiphanes, qui rectiùs Epimanes dicatur. Deſcribitur primùm ab adjunctâ ejus qvantitate, quòd fuerit parvum. Nam Antiochus Epiphanes fuit ex fratribus natu minimus, & nullo loco. Secundò à formâ ortus: ſuccrevit inter alia cornua, quaſi alienum ortu à reliquis. Significatum fuit, Antiochum Epiphanem nullo jure ſibi uſurpaturum regnum, quod ad fratris Seleuci filium Demetrium pertinebat, atque ita mero aſtû inter cæteros reges locum habiturum. Tertiò deſcribitur ab effectû: tria ex cornibus illis prioribus evulſa ſunt à conſpectu ejus. Adumbratum fuit, tres reges ante Antiochum Epiphanem regnantes ab Antiocho Epiphane tollendos è medio, ut regnum ille occuparet.*

7. *Qvartò deſcribitur parvum illud cornu à partium certarum, nimirum oculorum & oris conſtitutione. De oculis dicitur: & ecce oculi ſimiles oculis hominis erant in cornû iſto. Hoc ſignificatum fuit, Antiochum Epiphanem tùm præ ſe laturum humanitatem, ſed ſimulatorem deceptoremqve futurum: tùm ad omnia intentiſſimè provi-*

dentiſſimeque reſpecturum, quemadmodum etiam Aben Ezra interpretatur: tùm omnia ſitientiſſimè appetiturum, ut avarè concupiſcere dicuntur oculi. De ore autem dicitur, & os loquebatur grandia. Significatum fuit, Antiochum Epiphanem futurum ſermone blaſphemum & contumelioſum in Deum & Eccleſiam DEI.

8. Idem p. 42. ad v. 24. & 25. *Ultimum illud cornu eſt poſtremus rex, nimirum, qui Judææ dominaturus erat. Is eſt Antiochus Epiphanes, qui poſtremus ex Seleucidis Judææ imperavit. Quòd verò cornu illius ſpecies fuit major, quàm aliorum; eo ſignificatum fuit, Antiochum Epiphanem diverſum futurum à prioribus regibus, nimirum crudelitate & perfidiâ. Quod à conſpectû ejus tria cornua ceciderunt: eo dicit angelus ſignificatum, eum dejecturum tres reges, nimirum Ptolomæum Philopatora, Antiochum Magnum & Seleucum fratrem ſuum majorem.*

9. *Quòd parvum illud cornu loquutum eſt grandia; dicit angelus, eo ſignificatum fuiſſe, regem illum adverſus Excelſum loquuturum, hoc eſt, Antiochum Epiphanem blaſphemum futurum in Jehovam. Quòd ultimum cornu geſſit bellum cum ſanctis, & prævalet eis, eo dicit angelus ſignificatum, regem iſtum ſanctos excelſorum detriturum, & cogitaturum mutare tempora & legem, hoc eſt, Antiochum Epiphanem juſſu Romanorum ex Aegypto diſcedentem, ad Hieroſolymorum urbem exercitum ducturum, eamque occupaturum, Judæos crudeliter interfecturum, templum ſpoliaturum, religionem à* DEO *Judæis mandatam cum profanâ gentilium idololatriâ commutaturum, tempora ſabbathorum & feſtorum abrogare, & legem ipſam Dei delere conaturum.*

10. *Addit angelus, traditum iri per manum ejus usque ad tempus & tempora & particulam temporis, hoc eſt, no-*

vas

vat leges & ceremonias ab ipſo imperatum & inſtitutum iri in populo Judaico per ſpatium annorum trium & dierum decem. Tempus enim annum ſignificat; tempora biennium juſtum; particula temporis dies aliquot, nempe decem.

11. *De pœnâ tyranni iſtius ait: dominatum ejus auferent profligando & perdendo usque in finem. Pœnæ tres gradus ſtatuuntur, quorum poſterior ſemper eſt gravior priore: Primò ait, dominatum ejus auferent, nempe ii, quos Deus judicij ſui exſecutores ordinaverit: veluti fuerunt Maccabæi, Parthi, Tigranes, rex Armeniæ, & tandem Romani. Secundò ait: profligando, hoc eſt, ipſe cum familiâ regni poſſeſſione ſpoliatus expelletur. Tertiò ait: & perdendo usq; ad finem, hoc eſt, tandem planè regnum ejus & familia ejus exſtirpabitur.*

12. Habes hic compendium plurimorum errorum: de quibus illud tritum eſt verum: *Abſurdo uno conceſſo ſequuntur infinita.* Fundamentum, ut audiemus, eſt falſiſſimum. Cæterâ, quæ hoc fundamento innituntur, ſunt quidem ingenioſa, ſed non vera. Eandem ſententiam tuentur *Tremellius, Junius, Piſcator* atqve alij, qui de hâc materiâ ſcripſerunt.

13. Hanc *Porphyrij* & Calvinianorum ſententiam eſſe falſam, argumentis è textû firmiſſimis & omni dubitatione majoribus confirmari poteſt. Nam primò ex antecedentibus certum eſt, per quartam beſtiam denotari idem imperium, qvod *cap. 2.* per pedes partim ferreos, partim luteos, fuit repræſentatum. Conſtat autem, pedes luteos & ferreos ſignificare Romanam, ſeu quartam Monarchiam. Ergò idem imperium indicat quarta beſtia.

14. Cùm autem parvulum cornu oriatur in capite

&. fron-

& fronte quartæ, ſeu Romanæ Monarchiæ, & Antiochus Epiphanes ante Romani imperij initium fuerit extinctus; ideoque per parvulum cornu intelligi non poteſt. Idem ingenuè fatetur Polanus p. 48. *Sic gradatim* (verba Polani) *DEus, juſtus judex, ſeveritatem judicij ſui auxit inde usq; ab Antiocho Epiphane Seleucidarū regnum concutiens, donec à Pompejo Magno tandem omninò eſt everſum.*

15. Deinde ex *Daniele* innotuit, tertiam beſtiam habuiſſe quatuor capita. Quatuor autem illa capita, quæ ſimul & non ſuccesſivè in tertiâ beſtiâ videntur, non poſſunt exponi de Alexandro Magno & ejusdem regno. Huic enim non quatuor imperantes, ſed unus tantùm præfuit. Ideoque illa quatuor capita ad Alexandri M. ſucceſſores referantur neceſſe eſt. A Seleuco autem, qui fuit unus ex Alexandri M. ſucceſſoribus, deſcendit Antiochus Epiphanes. Hinc ſeqvitur, qvòd ejusdem origo ex quartâ beſtiâ non ſit deducenda, cùm ſuum ex tertiâ beſtiâ habeat ortum, niſi pardum uno capite privare velis.

16. Porrò quia decem cornua in quartâ beſtiâ non ſuccesſivè, ſed ſimul ſunt, & ex illorum medio oritur parvulum cornu; *Porphyrius* verò, & qui cum eodem faciunt, non poſſunt oſtendere in Seleuci regno decē regna, nec decē reges, qui ſuccesſivè imperaverint; & Antiochus Epiphanes octavū tantū locum obtinuit; indè clarum eſt, quòd parvulum cornu, quod undecimum eſt inter qvartæ Monarchiæ cornua, Antiochum Epiphanem ſignificare non posſit. Fuerunt autem reges in Syriâ poſt Alexandrum *Seleucus Nicanor, Antiochus Soter, Antiochus Theos, Seleucus Gallinicus, Seleucus, Ceraunus, Antiochus Magnus, Seleucus Philopator*

tor & Antiochus Epiphanes. Vide *Lutheri* prooemium ſuper *Danielem.* Qvòd autem *Porphyrius* ejusdemque ſocij de diverſis regnis, nimirum Macedoniæ, Syriæ, Aſiæ & Aegypti, unum regum ordinem contexunt, id nimis craſſus error eſt.

17. Quartò quia blaſphemias parvuli cornu ſtatim ſequitur ultimus dies; ideoque parvulum cornu non poteſt eſſe typus Epiphanis, ſed talis Eccleſiæ hoſtis, qui noviſſimum diem proximè antecedit. Nam Seleucidarum regnum, & cum eo Antiochus Epiphanes, deletum funditùs eſt ante mille, ſexcentos & plures annos, cùm Tigranes, Armeniæ & Syriæ rex, duobus prælijs à Romanis ſuperatus ſe Pompeio dediſſet; atque ita, regiâ poteſtate penitus ſublatâ, Syria eſt facta Romanorum provincia.

18. Poſtremò *Daniel* vaticinatur de diverſo interitû, utrique tùm parvulo cornu, tùm Antiocho Epiphani diverſo tempore à diverſis imperatoribus expectando. Nam Antiochi Epiphanis regnum à Cilicibus, parvuli verò cornu ab ipſo Domino ejusdemq; glorioſo adventu deſtruendum erit. Qvæ enim *cap. 11. à Daniele* de rege Aqvilonis, hoc eſt, Syriæ prænunciantur, qvo pacto in Iſraelitas fuerit graſſatus, illa citra omnem dubitationem ad Antiochum Epiphanem pertinent. De interitû autem ibidem prædicitur, qvòd naves ſint venturæ è *Chittim*, id eſt, *Ciliciâ*, qvæ illum vincant & funditus evertant: qvod ipſum Antiocho Epiphani accidit, cùm claſſis Romanorum, duce Cajo Pompejo Lenate eundem devincerent.

19. Imò ſi noſtri adverſarij maximè obtinere poſſent, Antiochum *ſeq. cap. 8.* per parvulum cornu repræſentari, & non pauca attributa, qvæ in *cap. 7.* habentur,

bentur,

bentur,in 8. repeti: in promtû tamen eſt reſponſio, qvòd illud parvulum cornu oriatur in fronte hirci, per quem Alexandrum M. repræſentari, extra omnem controverſiam poſitum eſt; hoc autem in qvartâ beſtiâ.

20. Tertia opinio eſt Pontificiorum, qui hoc parvulum cornu de Anti-Chriſto exponunt. *Cornelius à Lapide* in Com. ſuper *Danielem* p. 1326. *Undecimum cornu parvum eſt rex parvulus ſurrecturus, ſcilicet Anti-Chriſtus, obſcuro loco natus & plebejus, qui ſenſim creſcens tres reges de decem ſuperaturus eſt, ſcilicet regem Aegypti, regem Africæ, & regem Aethiopiæ, quibus interfectis etiam reliqui ſeptem reges illi victori colla ſubmittent, ut dicitur v. 24.*

21. *Bellarminus* lib. 3. de Romano Pontifice cap. 9. *Daniel cap. 7. bis loquens de AntiChriſto, ſemel narrans viſionem ſuam, & ſemel exponens viſionem; utraque vice ſubjungit: poſt AntiChriſtum ſtatim ſecuturum ultimum judicium: Conſiderabam, inquit, cornua, & ecce cornu aliud parvulum ortum eſt, & tria de cornibus primis evulſa ſunt de facie ejus. Adſpiciebam, donec throni poſiti ſunt, & antiquus dierum ſedit &c. Et infrà explicans viſionem: Beſtia quarta, inquit, quartum regnum erit. Porrò cornua decem, decem Reges erunt, & alius conſurget poſt eos, & ipſe potentior erit prioribus, & tres Reges humiliabit &c. Et tradentur in manus ejus per tempus, & tempora, & dimidium temporis, & judicium ſedebit &c. Similis*, pergit ibidem, *eſt Prophetia Johannis Apocalyp. 20. Matth. 24, 1. Johan. 2.*

22. *Becanus* in Manuali Controverſiarum lib. 1. c. 6. num. 16. *Conſtat ex ſcripturis & Eccleſiæ Traditione, Imperium Romanum tunc evertendum ac deſtruendum;*

quando

quando in decem Reges dividetur. Quod autem AntiChriſtus non antè venturus ſit, apertè convincitur ex Dan. c. 7. v. 24. ubi ſic legimus: Cornua decem ipſius regni decem reges erunt (de quibus jam diximus) & alius conſurget poſt eos, & ipſe potentior erit prioribus, & tres reges humiliabit, & ſermones contra excelſum loquetur, & ſanctos Altisſimi conteret, & putabit, quòd poſſit mutare tempora & leges, & tradentur in manus ejus usque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis. Ubi clariſſimè loquitur de AntiChriſto, quem prædicit venturum eſſe poſt decem illos Reges, qui Imperium Romanum inter ſe divident; & conſequenter poſt Romani Imperij everſionem.

23. Hæc eſt magna divini oraculi corruptio, tribus à nobis refellenda argumentis, ijsdemqve planè invictis. Nam primò hoc parvulum cornu notat ſecularem principem, ſeu regem, cùm oriatur è decem corniculis, id eſt, è medio regum & principum. Imò ipſe angelus parvulum cornu expreſsè nominat regem, qui potentior ſit futurus prioribus. Hæc de AntiChriſto dici non poſſunt. Hic enim qvamvis regiam ſibi vendicet eminentiam, ut ex 11. *Danielis* conſtat: tamen in proprio ſuo habitu (qvem *Paulus* 2. *Theſſ.* 2. deſcribit) non ut Rex, ſed ut Pſeudoapoſtolus & impius Eccleſiæ doctor, introducitur.

24. Deinde de hoc rege Propheta *Daniel* docet, quòd tria cornua ſit dejecturus, & ſanctis Dei illaturus bellum. Qvo vaticinio indicat, eum Tyrannum, qui hâc imagine ſignatur, fore extra Eccleſiam. Hæc ad AntiChriſtum accommodari neqvaqvam poſſunt. Hic enim ſedet in mediâ Eccleſiâ, teſte *Paulo* 2. *Theſ.* 2. neque dejicit cornua, ſed toti beſtiæ illeſæ inſidet, ut Johannes loquitur *Apoc.* 17.

25. Tandem Daniel parvulo cornu attribuit non miracula,ſed vim,ſæviciam & blaſphemias. Qvæ iterum ab AntiChriſto aliena ſunt. Nam de hoc in ſacris exſtat,quòd ipſius adventus ſit cum prodigijs & miraculis. Theologi citant *Matth. 24. v. 24. Luc. 11. v. 9. & 2. Theſſ. 2. v. 3. 4.*

26. Patres, quos *Cornelius à Lapide*, *Bellarminus* & *Becanus*, Pontificii Doctores, ſuprà in medium produxerunt, nobis nō contrariantur. Nam etſi *Hieronymus* & alii Patres videntur hujus typum de AntiChriſto interpretari: certum tamen eſt, eoſdem talem AntiChriſtum,qualem Pontificij fingunt,ne per ſomnium quidem cogitaſſe. Et qvidquid Patres de parvulo cornu tradunt, illud omne AntiChriſto Orientali, (Occidentalis eſt Papa Romanus,de qvo alibi) qvi eſt extra Eccleſiam,conjunctisſimè tranſcribi poteſt.

27. Rejectis ergò falſis opinionibus, vera & conſtans ſententia eſt,quòd per parvulum cornu deſignetur Turcicus imperator. Nam ſi omnes in toto mundo conſideres reges, nullum uſpiam reperies, cui omnia,qvæ à Daniele de parvulo cornu dicuntur, adeò exactè competant,quàm Turcicum Tyrannum. Omnia verò & ſingula, quæ hic de eodem commemorantur, ad ungvem Turcæ convenire, ex ſequenti propheticâ ſingulorum membrorum deſcriptione manifeſtum eſt.

28. Nos omnia,de qvib9 in primâ diſputatione fuſiùs diximus, hic loci in compendiū quaſi quoddam redigem9. Cornu inter decem alia quartæ beſtiæ exortum appellatur *parvum* ob vilem & contemtum ejusdem originem. Qvòd ſi nunc Turcicam Rempublicam ſpectemus, certum eſt, regni hujus conditorem, non

ex

ex regibus, ſed vilisſimis hominibus in Arabiâ, quæ tùm Romanis paruit,natum eſſe,&,manipulo furum coacto,Arabiæ dominatum invaſiſſe, ſubjectâ ſibi Damaſco,totius Syriæ metropoli, & mox Syriâ universâ. Cùm autem hoc malum,ex parvis initiis exortum,Heraclius, Romanorum imperator, contemneret, Mahomet progreſſus audacter eſt, & arma ſua in Aſiam & Africam usque protulit.

29. Parvulum cornu dejecit tria cornua quartæ beſtiæ,id eſt, ut nos cum noſtris Theologis ſuprà interpretamur,Aegyptum,Aſiam & Græciam. Hæc enim regna ab ipſo ſtatim principio Turcica barbaries obtinuit. Patrum noſtrorum memoriâ totam Syriam,unà cum Aſiæ parte,itemque Illyriæ, acqviſivit. Propheta autem hoc in loco de hujus regni initio potisſimum vaticinatur.

30. Idem cornu parvum habet oculos hominis & os loqvens grandia. Oculos aſtutiam in conſiliis magnamque in rebus gerendis induſtriam notare, ex ſuperioribus habemus. Tùm hæc,tùm illa in Turcico regno ſupra modum conſpicua eſt. Os grandia loquens ſunt plurimæ contra Deum & Chriſtum blaſphemiæ in Alcorano congeſtæ.

31. Qvamvis in principio parvulum cornu fuerit minus ſingulis aliis decem: tamen ſucceſſû temporis omnibus aliis extitit majus. Hoc iterum ad Turcam optimo accommodamus jure. Hic enim à parvis omninò initiis progreſſus in tantam poteſtatis molem excrevit,ut magnum totius mundi principibus injecerit terrorem.

32. Parvulum cornu faciet bellum ſanctis,illisque prævalebit, donec antiqvus dierum veniat, & ſancti

obtineant regnum. Qvod vaticinium iterum de Turcâ veriſſimum eſt. Hic enim vi apertâ aſſiduisque bellis nomen Chriſtianorum delere conatur. Hic loci quilibet noſtrûm debet conſiderare plurima Turcici imperatoris bella, contra Chriſtianam religionem mota, in quibus magnam, eandemque valdè ſangui nolentam, de Chriſtianis reportavit victoriam.

33. Tandem de eodem extat, quòd ſit mutaturum tempora & leges. Et hoc in Turcico regno adimpletum diu eſt. Hic enim novam planè religionis formam introduxit, & tempus præcipui cultûs, â Judæis & Chriſtianis longè diverſum, inſtituit. In his omnibus, quæ enarravimus, Turcicus Tyrannus perſeverabit, nullâ hominum poteſtate, ſed ultimo ſolius Chriſti adventû ad judicium conficiendus, juxta verſus 10. 11. 12. 13. & 14.

34. Hæc eſt noſtrorum doctorum ſententia. Nunc quid eidem opponi poſſit, audiamus neceſſe eſt. *Hæc ſententia*, inquit *Polanus* p. 56. c. 7. *primò præſupponit, quartum regnum, per quartam beſtiam ſignificatum, eſſe Romanam Monarchiam, quod paullò antè refutavimus. Deinde non competit in regnum Saracenicum deſcriptio parvi cornu. 1. quia parvum cornu totum regnum quartum tenere debuit, quod antecedentia cornua tenuerunt: at Saraceni totam Monarchiam Romanam nunquam obtinuerunt. 2. quia parvum illud cornu unum duntaxat regem, ſeu unam perſonam, ſignificat, ut angelus ipſe interpretatur v. 29. non ergò regnum â multis adminiſtratum. 3. quia parvum illud cornu tres reges deprimere debuit: ut loco illorum ipſum regnaret. At regnum Saracenicum provincias quasdam non tribus regibus ademit, ſed uni imperatori: nec imperatores tres interfecit, quibus in Imperio Romano*

ſuc

ſucceſſerit. 4. quia parvum cornu populo Judaico bellum movere debuit: at regnum Saracenicum ei bellum non intulit. 5. quia parvum cornu cultum Dei Jeroſolymis per triennium & dies aliquot interrumpere debuit, ſequente cultûs divini reſtauratione: at hoc de regno Saracenico dici nequit. 6. quia parvum cornu ante erectionem regni Chriſti apud omnes gentes penitùs perditum & deſtructum eſſe debuit: at regnum Saracenicum ante auſpicia regni Chriſti nondum cœperat, ſed demum circa annum 623. à nato Chriſto initia ſua habuit.

35. Idem p. *56. Alij putant, parvum cornu eſſe Imperium Turcicum. Cæterum,* ait p. 52. *hæc etiam opinio conſiſtere nequit. Initiò parvum illud cornu non eſſe Turcicum Imperium ex his liquet argumentis: 1. quia parvum illud cornu unicum duntaxat regem ſignificat, quemadmodum interpretatur angelus v. 24. 2. quia parvum illud cornu, totum quartum regnum obtinere debuit: At Turca ne in hodiernum quidem diem totam Monarchiam Romanam obtinuit. 3. quia parvum cornu ante erectionem regni Chriſti inter gentes regnare debuit v. 11. 12. 26. 27. at Turca demum anno Chriſti 1300. regnum ſuum ordiri cœperunt duce Ottomanno.*

36. *Deinde tria cornua non eſſe tria regna diverſa, nempe regnum Bithyniæ, imperium Conſtantinopolitanum, & imperium Trapezuntinum, manifeſtum eſt ex v. 24. in quo dicuntur eſſe ejuſdem regni tres reges. Tertiò judicium v. 10. & 26. non eſſe accipiendum de ultimo judicio univerſali, ſuprà eſt oſtenſum. Quartò vaticinium Pauli 2. Theſſ. 2. v. 3. & ſeq. & Johannis Apocal. 13. v. 11. & ſeq. & cap. 20. v. 4. non debet, nec poteſt de Turcâ accipi, ſed de Papâ Romano. Quintò quòd tempus ultimi Turcarum Imperato-*

ris

ris & ultimi judicij ita definitur, ac ſi certiſſimè conſtaret, præſumtionis eſt temeraria, quum ne angeli quidem tempus ultimi diei noverint.

37. Reſp. in genere, qvòd hæc duo regna à Daniele non dividantur, regnum ſcilicet Saracenorum & Turcarum, ſed utrumq; per parvulum cornu repræſentetur. Primordia fuerunt penes Saracenos, accrementum verò, ſeu ſplendor penes Turcas. Diſtinguimus a. inter *regni Turcici natalia, ſeu primordia*, & inter *accrementum*. Primordia fuerunt penes Saracenos, ſplendor verò penes Turcas: ut ex proœmio conſtat.

38. Rationes, quas *Polanus* p. 56. adducit ex falsâ verborum Danielis expoſitione fluunt. Nemo ex Daniele docere poterit, quòd parvum cornu debuerit obtinere totum regnum quartum, quòdque idem antecedentia cornua tenuerint. *Verſu* 24. quem *Polanus* urget, rex communisſimâ loqvendi conſuetudine ſumitur pro regno. Cæteræ *Polani* rationes ad unam omnes principium petunt, earundemqve ſolutio ex illorum argumentorum, qvæ contra Romanam Monarchiam *Polanus* protulit, analyſi conſtat.

39. Crambem his coctam apponit *Polanus* p. 57. in omnibus argumentis, ſi ultima tria excipias. Verſ. 10. & 26. de ultimo univerſali judicio accipi poſſe negat. Quid hic ſit reſpondendum ex primâ & tertiâ diſputatione liquet. Nam in illis aliquot argumentis probavimus, hic non de primo, ſed ultimo Chriſti adventú agi. Quarta *Polani* ratio nobis non obeſt. Nam & noſtri concedunt, qvòd loca ex Novo Teſtamento adducta de AntiChriſto occidentali agant,

quòd

quòdqve parvulum cornu, ſeu AntiChriſtus orientalis, fuerit typus occidentalis.

40. Tandem utrâque manû largimur, eſſe magnam temeritatem, velle definire tempus ultimi Turcarum imperatoris, & ultimi judicij, hoc eſt, dicere: cras ſummum judicium aderit: hic imperator Turcarum eſt ultimus. Hoc enim eſt ſolius Dei. Cùm autem nemo noſtrorum doctorum id faciat; ideoqve ijsdem falſiſſimè affingitur. Noſtri verò doctores ex *Daniele* id demonſtrant, qvòd omnium regnorum interitus, inprimis poſtremi animalis & blaſphemi corniculi, futurꝰ ſit in extremo judicio, quod in fine mũdi ſecuturũ eſt. Si quis a. inde argumentaretur: *Qui dicit, quòd blaſphemi corniculi interitus ſit futurus in extremo judicio, ille determinat tempꝰ ultimi Turcarũ imperatoris & ultimi judicij:* ille conſequentiã ex arenâ necteret. Aliud n. eſt dicere: Turcicũ regnũ interibit, aliud verò, Turcicum regnum hoc tempore interibit; & qui eidẽ imperio præeſt Tyrannus, ille eſt ultimus. Illud eſt verum; hoc autem falſum. Eodem modo rectè docet, qui docet, judicium ultimum eſſe certum: qui verò docet, qvòd illud cras ſit expectandum, errat, & notam temeritatis nunqvam effugit.

41. Hæc de parvulo cornu. Conſeqvens eſt, cætera hujus diſputationis videamus membra; inter quæ forma Turcici regiminis ejusdemque duratio primo explicanda loco ſunt. *Ariſtoteles* poſtqvam de Rebusp. in genere egit, facit initium â Monarchiâ *3. Polit. cap. 10.* cujus ibidem quinque diverſitates tradit. Ultimum, dicit ibidem, genus verum regem conſtituit. Non aliter autem, pergit eo in loco, conſtat ratio Monarchiæ, quàm ſi unus præſideat.

41. Ut verò cum eodem Monarchias rectè ordinemus, ab eâ inchoandum eſt, quæ cæterarum norma eſt, utpotè à regno. Regnum eſt Monarchia, in quâ ſalus ſubditorum maximè procuratur: quod fit, qvando Monarcha ſubditis ſua cuique relinqvẽs bona propria, ſecundum Dei, naturæ, ſuasq; ex juſto & æquo conditas leges imperat. Et hic Monarcha rex eſt, quem à cæteris per virtutes diſtinguimus.

43. A regno proximè abeſt dominatus, inter regnum & Tyrannidem ambiguus. Dominĩ nomen ad imitationem dominij, qvo paterfamilias utitur in ſervos accipimus, qui libertatis & fortunarum omnium dominus jure belli factos, aut fœdere ſubditos, quaſi paterfamilias ſervos moderatur. Dominum à rege & principe diſtinguit *5. polit. c. 10. 4. polit. c. 10.* cùm etiam *Plutarchus* teſtetur, *Ariſtotelem* ſolitum Alexandrum admonere, ut Græcos paternâ pietate, & barbaros dominandi majeſtate in officio contineret.

44. Longiſſimè á regno abit Tyrannis omnium rerumpub. deterrima; quia optimo bono opponitur *4. Polit. c. 2.* Tyrannum cum *Ariſtotele* ex publico officio æſtimamus. Opponitur autem Tyrannus regi. Qvia verò officium regis eſt, omnem ſuam curam conſumere in republicâ; Tyrannus erit, qui negligit, & ſubvertit bonum publicum, ratione habitâ ſui commodi. Qvam publici commodi everſionem ſeqvuntur reliqua vitia. Nam cùm rempub. in ſe transferre non poſſit, ſi leges, aut prudentes cordatique viri obſiſtant, tùm hos, tùm illas priùs tollit.

45. Turcicus Imperator eſt Monarcha propriè dictus, non autem rex, ſed vel dominus, vel Tyrannus.

Hæc

Hæc enim duo inter ſe permutari facillimè poſſunt. Dominum dixi eſſe Turcam, cujus legibus caveri memorat *Bodinus* 2. de repub. c. 2. ne quis omninò dominatum affectet, aut ullius prædii dominum ſe dicat, præter Caliphum, Pontif. Max.

46. Quin etiam familiarum dominium Imperatori aſſcribit *Menavinus lib. 4.* dum ait, per totam Græciam, Boſniam & Wallachiam ex qvâvis familiâ tertium adoptari filium in militiam Janitzerorum. Cùm concuſſa eſſet Conſtantinopolis terræ motû, Bajazethes II. indixit inſingula capita tributum, & fabrorum decimum qvemque ſub pœnâ capitis ad reficiendam civitatem convocavit, *Menavinus lib. 5. cap.* 14.

47. Porrò apparet ſeveritas iſta dominandi in devictis hoſtibus tractandis. Romani quondam pacem dabant debellatis hoſtibus, nec eos priſtinâ dignitate prorſus exuebant. Hinc *Virgilius lib. 1. Aeneidos: Parcere ſubjectis & debellare ſuperbos.* Poſt primum bellum Punicum, ait *Florus Epit. 19.* Carthaginenſibus pax data; nihil præterea. Philippo Maced. ait idem *Florus* lib. 3. Rom. hiſt. c. 7. conſul pacem dedit, regnumque conceſſit. Imò, ſecundum eundem *Florum lib. 3. cap. 2.* nunquam Populus Romanus hoſtibus domitis ſuam victoriam exprobravit.

48. Verùm Turcæ cui vel principi, vel urbi, vel regi victo, dignitatem & poſſeſſionem reliquerunt? Qvanquam ſpontè in deditionem Amurathis II. tranſierat Johannes Caſtriotes, rex Epiri: tamen poſteri ejus regno exuti fuerunt. Vide *hiſtoriam Scanderb.* Solymannus pacem cum Ferdinando non aliter pangere voluit, quàm ſi Hungariâ totâ excederet, & Au-

ſtriam Turcis tributariam faceret. *Jovius lib. 4. hiſt. ſui temporis.*

49. Cùm autem non poſſit eſſe diuturnum tale imperium, qvòd violentum ſit, omnesque illud deteſtentur, etiam illi, qui in ſummo honore vivunt; meritò quærimus, quænam ſit cauſa, qvòd tàm diu ſteterit. Trecentos annos & qvinqvaginta quinque illa tyrannis jam perſeverat. Nam anno 1300. Ottomanni induſtriâ & fraude conſtituitur. Sævum igitur & diuturnum eſt imperium. Firmitatem non tribuimus injuſtæ ac barbaræ dominationi, ſed juſtæ numinis divini vindictæ & vicinorum mutuis ſimultatibus ac bellis, Monarchiam illam, omnibus formidabilem, erigentibus.

50. Hoc ipſum ex innumeris ferè cauſis, utpote feliciſſimis ſucceſſibus, mutuâ fratrum cæde, militari tumultu, alijsqve ſatis ſuperque conſtare cuilibet poteſt. Qvod ut benè percipiamus, rem totam penitiùs conſiderare mihi eſt animus. Anno 1300. Ottomannus, vir magni conſilii & felicis audaciæ, Turcorum regulos, diſcordiâ imbecilles, variis præliis cecidit, & ex multorum ſpolijs magnus factus imperator annos 27. imperio præfuit.

51. Orchanes, Ottomanni filius, à duorum fratrum, natu majorum, parricidio auſpicatus imperium eſt: quod deinceps geſſit melius, quàm incepit. Magnam enim imperij Conſtantinopolitani partem ſuo adjecit regno, non ſuâ virtute, ſed diuturnis Andronicorum avi & nepotis, Cantacuzeni & Palæologi diſſidiis civilibusque bellis. His n. ſcelere, perfidiâ, & cæde mutuâ certantibus, hic regiones, omni auxilio deſtitutas, facili labore occupat. Hinc in auxilia partium

tium tractus, qvod magnatibus uſitatum eſt, vicinorum calamitates in occaſionem creſcendi convertit.

52. Orchani ſucceſſit Amurathes ambitione, laborum tolerantiâ, calliditate, militari diſciplinâ, robore, æquitate, comitate, temperantiâ & blanditijs omnibus Turcorum ducibus ſuperior. Facilis ad eundem aditus, benignus vultus, & ſumma in diſtribuendis honoribus compellandoque humanitas. Longè itaque alia eâ tempeſtate Turcici imperij fuit facies, & ſub creſcente Monarchiâ ſi non illibata & integra ſubditorum libertas, magna tamen ubique eorundem ſecuritas. Imperium Conſtantinopolitanum fregit non ſuo Marte, ſed à Palæologo, qvem Græcorum magnates, Bulgarorum auxilio adjuti, premebant, vocatus. Hic iterum avaritiâ naucleri Chriſtiani in Europam vectus, facilem de Græcis victoriam obtinuit.

53. Bajazetes, Amurathis filius, & Solymanni fratris interfector, ſummæ ferociæ fuit. Sigiſmundum, Hungariæ regem, caſtris exuit. In qvâ pugnâ à noſtris peccatum maximè eſt. Nam Galli dum invitis ducibus & ſine conſilio procurrunt, ab equitatû Turcico circumventi occidione delentur. Hic anno 1394. à Tamerlano vincitur & caveæ, non ſine ignominiâ & miſeriâ, includitur. Maximam tùm cladem ſuſtinet Turcicorum imperium. Nam præter 140000. qui in acie ceciderunt, 110000 ab equitatu obtrita

contra Sigiſmundum, Hungariæ regem, commiſſo firmat. In quâ pugnâ equites Chriſtianorum temerario impetû in hoſtem delati, anteqvam â peditibus auxilium habere poſſent, in turpam fugam aguntur, & pedeſtrem aciem jam omnis conſilij inopem, ſagittis conficiendam præbent.

55. Orcanem, Calepini filium, inſidijs circumventum, occidit Moſes, Moſen Machometes, qui primus regnum Turcicum, haſtenus ex parte bonum, durius effecit atque multis modis atrocius. Nam Turcarum regulos & principes ſibi leviſſimâ de causâ ſuſpectos partim vi, partim fraude, oppreſſos ſpoliavit. Quæ clades longè lateqve patuit, ut paullò pòſt nullibi principes, ſed mera mancipia, fuerint. Diem ſuum obiit anno 1419. Ex his colligere eſt, Turcicam Monarchiam ad illud uſqve tempus temperatam optimatum imperio fuiſſe.

56. Sequitur alter Amurathes, qvem Johannes Hunniades quinque maximè prælijs vicit, quemque Scanderbejus Crozæ obſidione depulſum mori coegit. Clades intulit Græcis, qui tantâ cum ignaviâ reſtiterunt, ut milites, duce defuncto, nullum ex de mortui gente ducem, ſed Muſtapham, Amurathæ patruũ, deligerent, eoque victo, alium Muſtapham, Amurathæ fratrẽ, 13. annorum adoleſcentem, exercitui præficerent. Ergò nemo mirari debet, ſi cæteris Chriſtianorum ocioſis, aliis etiam prodentibus, Græcis verò regni ſui fortunam contemto puero offerentib9, Amurathes crevit.

57. In Tyrannidem, omnibus numeris abſolutam, degenerat hoc imperium ſub Mahomete ſecundo, qui Conſtantinopolin anno 1453. vel, ut *Alſtedius* vult, [1457,

1457. occupavit, non ſuorum Turcorum virtute, ſed Illyricorum, Walachorũ, Dardanorum, & Serviorum peſſimo auxilio & perfidià. Nam hi populi ſpe prædæ militatum Mahometi venerant. Vir in ſuos ſævus, omnis juris & jurisjurandi probitatisque contemtor. Mortuo illo (moritur 1487.) patuit, qvàm malè adminiſtratum ab ipſo fuerit regnum.

58. Huic ſuccedit Bajazethes, qui inſignes Venetiis intulit clades. Mox ab ijsdem repreſſus pacem facere coactus eſt, & à Perſis ita vexatus, ut parum abfuerit, qvin unà expeditione totam Septentrionalem Aſiam amitteret. Dum hæc à patre infeliciter geruntur, Selymus, Acomathes, & Gorahutus filij domi magnis de imperio certant viribus. Tandem obtinet Selymus ope Janizarorum, patrem veneno è medio tollit, fratres non modo, ſed fratrum qvoqve filios interficit, & Perſas, amisſis 100000. ſuorum, atterit. Selymũ ſequitur Solimannus & Solimannum, Selymꝰ ſecundus. De his hiſtorici communi conſenſu docent, qvòd ſuos majores ſævitià & rapacitate ſuperârint, eosdemqve longisſimè. Reliquos imperatores eorundemq; vitam pluribus enarrare haud opus eſt. Nam eadem fermè fabula fuit ubique acta, tantùm mutatis perſonis.

59. His benè conſideratis, annos ducentos duraſſe hoc imperium Turcicum comperiemus; ob eo ſcilicet tempore, quo abſolutisſimũ & planè tyrannicũ adeoqve infeliciſſimũ eſſe cœpit. Plurima itaqve & perpetua mala ſint in hoc regno neceſſe eſt. Nam cùm

riendū eſt, nihil non tentant, qvòd inter ſolium & ſepulcrū, inter coronam & laqveum nihil ſit relictum.

60. Porrò metus mortis & ſpes dominandi filios patri ſuſpectos efficiunt & infenſos. Nam qvàm primū unum alijs præferri ex minimo ſigno diſcunt, ſtatim â patre ſe morti addictos arbitrantur. Addo, quòd totā domum imperatoriam ad unum redigant caput: cui ſi aliqvid humani contingat, huic vel nullus, vel puer, futurus regni ſucceſſor eſt. Calamitates verò ſubditorū, quæ ex eo regnandi proceſſu oriuntur, ſunt innumeræ. Fertiles n. agri longè lateqve ſilveſcunt, & injuriâ regnantiū omnia ad vaſtitatē tendunt. Nemo qvoqve agricolarum de peculio cogitat. Hinc regiones ita ſpoliantur, ut vix ad vitam neceſſaria relinqvantur.

61. Ex his omnibus, qvæ enumeravimus, conſtat, quàm infelix & debile ſit Turcicum imperiū, qvòdq; non conſilio imperantiū, ſed irâ Dei & viciniorum diſcordiâ, tàm diu ſteterit. Qvæ duo conſervandi rempublicam Turcicā inſtrumenta ſi nōadeſſent, debilis certiſſimè eſſet, brevis & omnibꝰ invadentibus obnoxia.

62. Omnes ergò Politici enormiter peccant, qui Germaniæ principibus hunc dominandi modum commendant. Qvid ſeculo ſuperiori *Nicolaus Machiavellus* Florentinus, infeliciſſimus terræ partus, tentaverit, omnibus doctis perquàm notum eſt. Cumprimis quomodo hoc monſtrum hominis principem hypocritam inſtruat, ex *cap. 8.* videre licet. Imò in toto de Principe libello nihil agere videtur aliud, qvā ut omne, quod Ariſtoteles profert de Sophiſtico conſervandi Tyrannidem modo, ad bonum principem applicare dextrè poſſit. Idem fatetur Dn. *Hermannus Conringius in Introductione in Politica Ariſtotelis.*

63. Utinam

63. Utinam autem hoc monſtroſum dogma in eâ regione, in qvâ natum eſt, vel in primâ ſtatim herbâ ſuffocatum eſſet, aut nullus Germanorum fando aliquid de eo percepiſſet. Verùm hoc dogma, ſupra modum peſtilens & planè Diabolicum, qvàm altas in plurimorum Germanorum animis radices egerit, experientia unà cum publicis ſcriptis nos quotidiè docet. Qvid alij jamdudum deſignarint non dicam; ſed tantùm iſtius, quod non ita pridem Franckofurti ad Oderam accidit, mentionem faciā. Ibi quidam P. P. & J. U. Doctor, in hâc noſtrâ Wittebergenſium Academiâ educatus, diſputationem quandam, publicis typis exſcriptam, habuit de bono Principe; in qvâ eadem *Machiavelli* dogmata ab Orco revocata publicè defendit. Ipſam diſputationem, quæ jam eſt in plurimorum manibus, ubi vidi, toto animo exhorrui, maximèque eandē deteſtatus, atq; mecum omnes boni cordatiq; viri.

64. Tàm horribilia in eâdem occurrunt dogmata, ut nullam refutationem mereantur. Nam qvivis, qui primis tantùm literis & aliqvâ pietate imbutus eſt, huic doctrinæ novæ abſurdæque facere ſatis poterit. Qvi tamen informationē deſiderat, quomodo tàm improbo labori ſit obviam eundum, ille legat *Vindicias contra tyrannos, ſive de principis in populum, populique in principem legitimâ* poteſtate *Stephani Junij*, Hanoviæ anno 1595. editas. Pugnat in ijsdem ex diametro cum Nicolai Machiavelli malis artibus, pravis conſilijs, & falsâ peſtiferâque doctrinâ.

65. Ego hâc vice (plura de hâc materia alibi) ipſi ha-

guem in biſce præceptis fugere ac deteſtari. Nam qvamvis multa in illo ſpeciē ſapientiæ habeant: tamen quia plus fellis, quàm mellis, ſceleris, quàm virtutis, vobis propinat, non legendum, non audiendum cenſeo. Nam ut Paracelſus in medicinâ: ita Machiavellus in ſuâ politiâ facit. Ille ſua pharmaca ſpecie pulcra, precio magna, eſſentia & proprietate mirifica: at non ſine interitu corporis: hic ſua præcepta, primâ fronte docta, primoque auditû rara, at non ſine pernicie civitatis venditat. Qvare ut ille eſt fugiendus, ne admiſſo intereant homines: ita tollendus eſt ille, ne recepto ruant civitates. Oppono meipſum igitur Machiavello, ejusque axiomata de inſtituendâ rep. ac civitate ut anathema animo deteſtor meo.

66. Quod ingenuum *Johannis Caſi de Machiavello* judicium, omni veritate majus, ut omnibus Calviniſtis placuit hactenus: ita planè certus ſum, idem adhuc placere ijsdem, Franckfurtenſis verò diſputatoris mala molimina diſplicere penitùs. Imò nullus dubito, qvin boni principes hæc atque hujus generis plura conſilia ſummo adverſentur ſtudio, atque nunquam non deteſtentur.

67. Qvamvis autem Turcicum imperiū ſit Tyrannis omnibus numeris abſoluta; eſt tamen reſp. propriè dicta, cùm eidem reip. definitio, quæ in *Ariſtotele* extat, competat: in qvâ ipſe Philoſophus non facit mentionem finis, quòd idem à bonitate ſumendus ſit, & Reſpublicâ ad bonum & malum indifferenter ſe habeat. Sic bellum, leges & magiſtratus in genere ſi conſideremus, neque bonitatem, neqve malitiam in ijsdem definiendis exprimimus, ne qvalitatem cum eſſentiâ confundamus. Eundem in modum prætor dicitur jus reddere tùm etiam, cùm iniquè decernit. Idem definiendi modus non tantùm uſitatisſimus eſt Ariſtoteli in Logicis, Rhetoricis & Politicis; ſed & Politici & Jurisconſulti, cumprimis *Modeſtinus* leges

ges, nuptias, bellum & ſimilia definiunt ex ſolis eſſentiis.

68. Quod opponimus *Adamo Contzen, & Johanni Caſo.* Ille enim hoc planè negat *lib. 1. Politic. cap. 2. §. 4. Forma,* inquit loco citato, ſcilicet reipublicæ, *eſt ratio juris, in quod populus conſenſit, hoc eſt, ordo imperantium atque parentium imperio, ex quâ formâ triplex reſpublica conſurgit. Quo etiam ex loco apparet, cùm conſenſus ille deeſt, non eſſe rempublicam, ſed alium aliquem cœtum, utpote ſervorum in poteſtate Domini alicujus viventium.*

69. *Itaque Turcarum imperator Rempublicam proprie dictam non habet: cùm enim in ſubditos, adeoque ſupremos belli duces habeat abſolutum jus vitæ & necis, cùm omnes prædicent facultates ſuas omnes, ſeque ipſos mancipio magni imperatoris addictos, illudque jus majus ſit, atque potentius quàm olim fuerit dominorum in ſervos, non eſt hic aliud regimen, quàm* δεσποτικὸν, *nullo modo civile, civitates enim quamvis habeat, non tamen regit eas jure civium, ſed abſoluto dominationis arbitrio. Nihil aliud igitur magnæ illæ civitates ſunt, quàm capaciora quædam ergaſtula, magni autem Baſſæ & Beglerbeij quaſi atrienſes quidam ſervi, ad nutum domini nullo legum aut juris præſidio morituri.*

70. Ejusdem ſententiæ eſt *Caſus* in Sphærâ Civitatis *p. 1. & 2. lib. 1. cap. 1. Verè,* ait, *contra ejus, nimirum Machiavelli, aſſertionem profiteor, ſine fide, ſine juſtitiâ, ſine Chriſto non ſtare civitatem, non eſſe politiam: quippe ſine his armis non rex, ſed tyrannus, non civitas, ſed furioſa multitudo, non reſpublica & ordo, ſed horrenda confuſio dicitur.*

71. Uterque diſtinguit inter virtuoſum & vitioſum

Negamus *Adamo Contzen*, formam reip. eſſe rationē juris, in quod populus conſenſit. Scimus conſenſum ad nuptias reqvirl, ſed non ad qvamvis civilem ſocietatem. Negamus quoque *Caſi* effatum, ibi non eſſe reſp. ubi non eſt fides, juſtitia & Chriſtus. Nam ſi ita eſſet, tunc ſequeretur, quòd nulla Ethnicorum reſp. quantumvis virtuoſa, fuerit reſp. propriè dicta. Omnes enim ſine Chriſto fuerunt.

72. Tandem de Turcorum judiciis & fœderibus nonnihil dicendum nobis erit, idque paucis. Judiciorum apud Turcas ratio eſt celeris & expedita, ſed non juſta. Nam ibidem de cauſis judicat ſummus eorum ſacerdos, qvem, ætate grandem, juris gnarum habent. Ab hoc ad Mophti, qui in rebus dubiis *Cadi* exquirit ſententiam appellatio concluditur. Cùm autem paucas admodum habeant leges; hinc pro arbitrio affectuque in plurimis controverſijs judicant. Indè fit, ut Turcici judices nusquā ſine muneribus promtè judicent, & in omnibus partium litigantium oculis manus habeant. Unde calamitoſa pauperum, imò totius reip. oppreſſio. Nam qui pauperes affligunt, tantæ ſunt potentiæ, præſertim ſi conſpirent, ut ſine imperii damno puniri non poſſint.

73. Omnia fermè fœdera utilitate metiuntur. Hanc ob cauſam nemo Turcis amicus eſt. Nulla quoque, niſi cùm libitum eſt, rata habent, eò quòd ſanctum judicent, quocunque modo hoſtes perdere. Conſule hiſtoriam, inprimis *Bonfinium* de obſidione Famaguſtanâ. Qvamvis autem malitia in pactis manifeſta ſit; tamen Amurathes Vladislaum, Hungariæ regem, quem priorem rupiſſe fœdera cauſabatur, ad Dei tribunal pugnaturus reum agit.

74. Politici volunt fœdera non ſolùm cum hæreticis, ſed etiam Turca, tempore tamen ſumma neceſſitatis, ineunda eſſe. Valdè hic tumultuatur *Georgius Schonbornerus*, inſtanter urgens, talia fœdera omninò illicita eſſe. Docent inſuper minus tutò cum Papâ, quàm cum Turcâ fœdus iniri, propter æquivocationes Papiſticas, & juramentorum inanitatem, qvæ ex paratâ Jeſuitarum abſolutione exſurgit, & tandem propter difficultatem ſucceſſoris, qvi negat, ſibi legem imponi potuiſſe. Plura, eaque maximi momenti, de hâc Tyrannicâ repub. reſtarent, ſi numerus pagellarum permitteret. Qvæ reſtant, magis commodo tempore, ſi Deus dederit, addemus.

FINIS,

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA